

cap. 2. num. 374. Barbos. *super Trident. loc. cit. num. 108.*
 38 & *dict. allegat. 60. num. 53.* & alii. Examinatores privantur beneficiis antea obtentis, si occasione examinis, si-
 ve antea, sive post aliquod accipiant, etiam gratis, &
 liberaliter datum, & ad captandam benevolentiam, etiam
 si res modica sit, & levis momenti; Nam à Tridentin.
loc. cit. prohibetur quidquam prorsus accipi occasione
*hujus examinis; sic resolvit Garcias *dict. part. 9. cap. 2.**
*num. 390. Riccius in *praxi *dict. part. 4. resol. 76. num. 3.***
*Barbos. *super Trident. loc. cit. num. 109.* & alii.*
 39 Examinatores peracto examine debent eos ex com-
 muni sententia renuntiare Episcopo, quos idoneos repe-
 rerint. Sic decisum fuisse à *Sacr. Congreg. Concil. referunt*
*Garcias *dict. part. 9. cap. 2. num. 104.* Barbos. *super**
*Trident. *loc. cit. num. 100.* & in *Summ. Apostol. decis. verb.**
 40 Examinatores Synodales num. 16. & alii. Approbatus di-
 citur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit con-
 secutus, quamvis alius omnia suffragia prospera report-
 taverit; sic decisum fuisse à *Sacr. Congreg. Concil. referunt*
*Garcias *dict. cap. 2. num. 109.* & Barbos. in *Summ.**
*Apostol. *decis. verb.* Examinatores Synodales num. 15. &*
 41 *super Trident. *loc. cit. num. 116.* Examinatorum vota licet*
 Concilium non expresserit an palam, vel secreto fieri
 debeant, magis tamen expedit, ut Examinatores palam
 inter se sua vota conferant. Deinde Notario jubeant, ut
 in actis suis simpliciter scribat Titium approbatum ido-
 neum; Sejum vero reprobatum, ut fit Romæ. *Sacr. Con-*
*greg. Concil. penes Garciam *dict. part. 6. cap. 2. num. 107.**
*Barbosam in *Summ. Apostol. decis. verb.* Examinatores*
*Synodales num. 18. & *super Trident. loc. cit. num. 112.**
 42 Examinatores debent dare vota, dum simul congregati
 sunt cum Episcopo, non autem separatim, sicut etiam
 Episcopus, ubi datur locus accessui, debet accedere
 Examinatoribus simul congregatis, Garcias *d. part. 9.*
*cap. 2. num. 58. Massobrius in *praxi, Requisit. 4. dub. 4.**
*Barbosa *super Trident. loc. cit. num. 113.* Card. de Luca,*
*d. Paroch. *disc. 1. num. 21.* & *27. disc. 3. n. 7.* & *disc. 37.**
num. 19. & alii.
 43 Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa
 mores, ætatem, & reliqua, & debent renuntiare quot-
 quot idonei iudicati fuerint, Episcopus vero debet ex
 iis, qui renuntiati fuerint, magis idoneum eligere. *Sacr.*
*Congreg. Concil. apud Garciam *de benef. part. 5. cap. 7.**
*num. 11. & *part. 6. cap. 2. num. 237.* & *part. 9. cap. 2. num.**
*108. Barbosa in *Summ. Apostolic. decis. verb.* Examinato-*
 44 *res Synodales num. 18. Examinatoribus approbanti-*
 bus aliquem tamquam magis idoneum in scientia, cujus
 tamen mores ignorantur, & habentibus alium non tam
 doctum, sed ab eis cognitum, & approbatum in omnibus,
 hic ultimus est preferendus. *Sacr. Congr. Concil. apud ip-*
*sam Garciam *dict. part. 6. cap. 2. n. 111.* Barbosa *loc. cit.**
 45 *num. 19. Non pertinet ad Examinatores Synodales, sed*
 ad solum Episcopum judicare quis ex concurrentibus ad
 parochialem vacantem sit magis idoneus. *Sacr. Congreg.*
*Concil. testibus Zerola in *praxi Episcop. p. 1. verb. Parochia,**
*§. 2. Armendar. in *addit. ad recap. Legum Navaræ**
*lib. 18. l. 7. num. 58. Barbosa *loc. cit. num. 21.* Vide ad*
 46 *rem Card. de Lugo *tom. 2. disp. 33. sect. 5. n. 64.* Exami-*
 natores debent vota sua dare, sed Episcopus non tenetur
 ex collatione votorum eligere, potest enim, cui ma-
 juerit ex approbatis beneficium conferre, non habita
 ratione calculorum ipsorum votorum, & debet expectare
 ut Examinatores renuntient, quos judicaverint idoneos
*Sacr. Congreg. Concil. apud Massob. in *praxi habendi con-**
 47 *cursum, *requisit. 4. dub. 4.* Barbosa *loc. cit. n. 20.* Idonei,*
 & approbati dicuntur illi, qui habeant majorem partem
 votorum favorabilium, quamvis minor pars eos reproba-
 ret, minusque idoneos renuntiare, quoniam tamquam
 in actu capitulari, seu collegiatiivo major pars trahit ad
 se minorem, eamque suffocat, ita ut habeatur, ac si ac-
 tus ab omnibus gestus esset; Et talis approbatio idonei-
 tatis absque distinctione notorum facta dicitur eo ipso,
 quod quis habet majorem partem, quæ constituitur etiam
 per dimidium vocum, quod excedat medietatem. Sic
 Card. de Luca *d. parochis *disc. 1. num. 18.* & *disc. 37.**
num. 20.
 48 Episcopus potest eligere etiam extra locum examinis,

& absentibus ipsis Examinatoribus. Garcias *dict. part. 9.*
*cap. 2. num. 59. Massobri. *dict. praxi requis. 5. dub. 20.* Bar-*
*bosa *super Concil. sess. 24. cap. 18. num. 120.* Card. de*
 49 *Luca *d. parochis *disc. 1. n. 20.* & alii. Episcopus in pa-**
 ritate votorum potest accedere quibus voluerit, ut si ex
 quatuor examinaturibus, duo approbaverint, & duo re-
 probaverint, accedendo Episcopus, vel Vicarius duobus
 approbantibus, Examinatus dicitur approbatus. & si
 accedit reprobatibus dicitur reprobatum. Unde Episco-
 pus in accedendo potest aliquem ex non approbato face-
 re approbatum ex declaratione *Sacr. Congregat. Concil.*
edita sub die 29. Aprilis 1604. per quam casus deciditur
in individuo tam circa adhesionem, quam circa præelec-
tionem, cujus tenor præcisus, ut refert Card. de Luca
*d. parochis *discurs. 1. num. 14.* & *15.* est ut sequitur.*
 Dubium: An existentibus duobus concurrentibus exa-
 minatis à quatuor Examinatoribus, quorum unus reporta-
 vit omnia vota favorabilia, alter vero duo tantum favora-
 bilia, possit Episcopus sui voti accessione approbare secun-
 dum; ita ut cum hic secundus ultra dimidium, incluso
 voto Episcopi vota favorabilia habeat, sit judicandus ido-
 neus, ut primus; ita ut liceat deinde Episcopo eligere ex
 his duobus, qui sibi magis idoneus videbitur? = Die 29.
 Aprilis 1694.
 Congregatio censuit, cum quoque, qui à duobus Exa-
 minatoribus approbatus, & alius duobus reprobatum fuit, si
 Episcopus votis approbantibus accesserit, quemadmodum ei
 licet per decretum Concilii cap. 18. sess. 24. approbatum in-
 telligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem
 regendam Episcopi electione alteri proferri si co altero magis
 idoneum judicaverit.
 In diocesi, in qua sunt duæ cathedrales unitæ, sunt
 deputandi in qualibet Examinatores distincti ab aliis al-
 terius cathedrales. *Sacr. Congreg. Concil. in *Palænsi. &**
Sulmonen. 7. Sept. 1650. Pignatell. tom. 1. consult. 413.
 Card. de Luca *d. benef. *disc. 10. num. 17. d. parochis *disc.***
*3. num. 5. *disc. 37. n. 16.* Annotat. ad *Concil. *disc. 32.***
*num. 6. & alii passim. Vide tamen *verb. Synodus num. 6.**
 Alia vide *verb. Approbatio art. 1. à num. 47. ad fin. verb.*
*Beneficia art. 3. usque à num. 22. ad 54. & *verb. Concur-**
sus, art. 2. & 3. per tot.
 *** Examinis pro collatione ecclesiarum parochia-
 lium habendi forma præscripta à Benedicto XIV. tom. 1.
 constit. 68. incip. *Cum illud. §. 7.* Vide tom. 2. *verb. Con-*
 53 *cursum in principio.* Examinis forma à Dataria Apostoli-
 ca servata proponitur locorum Ordinariis. Idem *ibid. §. 7.*
 Examinatores judicium ferre debent, non solum de doc-
 trina, sed etiam de aliis qualitatibus requisitis in paro-
 cho. Idem *ibid. §. 11.* Examen iterari non conceditur
 54 *in judicio appellationis, nisi ex actis prioris examinis pro-*
 betur gravamen, quoad doctrinam. Idem *ibid. §. 7.* Vide
 55 *verb. Concursum ubi alia ad rem.*
 Examinis diocesani Episcopi ante Ordinationem sub-
 jici debent etiam Regulares. Idem tom. 2. constit. 27. in-
 57 *cap. Impositi Nobis.*
 Examinatorum synodali electionem fieri debere
 58 nomine, & cognomine, non vero titulo officii, seu dig-
 nitatis tantum expresso, jam tradidit supra num. 25. ex
 59 *decr. Sacr. Congreg. Concil. que iterum novissime, cum*
 in synodo diocesana Polycastrensi inter Examinatores
 Synodales deputatus fuisset etiam Vicarius Generalis
 Episcopi, sub solo nomine appellativo dignitatis Vicaria-
 tus, atque hic una cum aliis duobus Examinatoribus Sy-
 nodalibus interfuisset concursu habito ad quamdam pa-
 60 *rochialem die 19. Septembris 1754. concursum convalida-*
 vit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo,
 Vicarium Generale non posse deinceps Synodalis Exa-
 minatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine
 ad illud iterum deputaretur, ut refert Benedictus XIV.
d. Synodo Dioces. lib. 4. cap. 7. num. 5.
 Examinatores Synodales debent usque ad novam Sy-
 nodum, licet quolibet anno celebretur. *Sacr. Congreg.*
*Conc. in *Imolen. 10. Decemb. 1659.* Si autem aut om-*
 60 *nes, aut aliquis ex designatis in ultima synodo morian-*
 tur,

tur, vel in longinqua recedant, tunc si saltem ex designa-
 tatis remaneant, Episcopus istis uti debet, nec potest
 alios pro mortuis, aut è diocesi discesis substitinere.
 Si vero sex saltem non supersint, tum ex decreto Cle-
 61 *mentis VIII. relato à Garcia de beneficiis *part. 9. cap. 2.**
*num. 72. & à Fagnano in *cap. Cum sit ars, num. 14. de**
*estate & *qualitate*, possunt Episcopi alios subrogare, dum-*
 modo predicti sint qualitatibus à Tridentino præscriptis, à
 Capitulo approbentur, & una simul ex electis in syno-
 do sex non excedant; & id fiat intra annum à synodo
 celebrata, quo elapso talis facultas, & eorum auctoritas
 statim expirat. Idem *cit. lib. 4. cap. 7. n. 7. & 8. Vide*
*tom. 2. *verb. Concursum, art. 2.**
 Si ex Examinatoribus non subrogatis, sed in ultima
 synodo electis sex supesites extant, omnes perseverant
 in officio, & illis uti debet Episcopus in concursibus ad
 62 parochiales. At si vel unus ex illis decesserit, ita ut ex
 63 electis in synodo sex non remaneant, omnium eorum
 munus expirat, & nullo ex illis uti poterit Episcopus in
 dictis concursibus, ut censuit Sacra Congregatio Con-
 cilia apud Garciam *cit. cap. 2. n. 73. Fagnan. *loc. cit. num.**
*14. Massobrius in *praxi habendi concursum requis. 12.**
*dub. 4. & refert idem Benedict. *loc. cit. num. 8. qui num.**
9. recte subjungit, quod elapso anno, & non existi-
 64 *tentibus sex Examinatoribus in synodo electis, ut vali-*
 de possit insitui concursus, necesse est ut Episcopus
 vel novam synodum celebret, in qua sufficiens numerus
 Examinatorum eligatur, vel facultatem petat à Sacra
 Congregatione Concilii novos Examinatores extra syno-
 dum deputandi; Aliis si concursus fiat coram Examina-
 65 toribus extra synodum designatis ab Episcopo nulla ad
 hoc instructo speciali facultate, erit nullus; Hinc cum
 in diocesi Bracharensi plures parochiales collate fuissent
 concurrentibus approbatis ab Examinatoribus extra
 synodum deputatis ab Archiepiscopo cum consensu Cap-
 ituli, opus deinde fuit, ut qui illas obtulerant, preces
 porrigerent Summo Pontifici, ut suprema sua autori-
 tate earundem collationes convalidaret; & *Sacr. Congr.*
Concil. ad quam preces remissa fuerant, die 12. Jan. 1715.
 illas convalidandas censuit, quia supplicantes bona fide
 parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiscopi ates-
 tatione constabat, multa exortura scandala, si novus con-
 66 *cursum ad illas foret indicendus, quod refertur in *thesaur.**
*resol. tom. 9. pag. 219. *loc. cit. num. 9.**
 Sacra Congregatio probe noscens non facile, ob
 varias causas, esse Episcopis singulis prorsus annis syno-
 dum celebrare, ne idcirco legitimum careant Examina-
 67 toribus pro concursibus ad parochiales, statim ac ali-
 quis Episcopus ei exponit, sex electos in ultima synodo
 non extare, facultatem ei concedit eligendi novos à
 majori parte Capituli approbandos, quorum tamen mu-
 nus duraturum decernit tantum ad annum; & iterum
 ad preces Episcopi illos in munere confirmat, quod &
 68 deinceps semper in annum iisdem prorrogat; Idem *ibid.*
num. 10. ubi recte subdit, quod si Capitulum illos, quam-
 vis ceteroquin idoneos, approbare recusaverit, licet Pignatellus,
 & P. Andreucius ibi citati existiment habendos
 esse nihilominus in tali casu pro approbatis, tutius
 tamen erit ad evitandas innumeratas lites, & controversias
 solitas oriri in similibus casibus, ut tum Episcopus
 à Sacra Congregat. Concilii petat supplementum consen-
 sus sine justa causa à Capitulo denegati, ut de facto
 69 *suppletur in una *Messanensi die 20. Septembris 1645.**
 similiem nominationem, seu electionem Examinatorum
 synodali, quam Capitulum detrectaverat approbare,
 convalidando, ut apud Thesaurum *tom. 9. in *Aversana**
electionis Examinatoris synodalis. §. Urgente: refert Bru-
 70 *ditissimus Eminentissimus Cavalchini, qui uti Secretarius*
dicte Sacre Congregationis Concilii sub die 10. Janu-
*arii 1739. §. 16. *Maii ejusdem anni 1739.* instabat no-*
 mine Ordinarii Aversani pro simili supplemento degen-
 erati Capitularis consensus, ibi: *An nominatio Sacerdotis*
Cajetani Perusini in Examinatore synodalem facta ab
Ordinario sit confirmanda, non obstante dissentio 10. ex 19.
Concilio in Capitulo intervenientibus, & suffragium fe-
 rentibus in casu, &c. Et cum perperam fuisset, jam tum
 elapsam fuisse annum, quod præfatus Sacerdos exer-

cere potuisset Examinatoris munus, cum ex supradictis
 talis facultas soleat concedi solum ad annum, *Sacr. Con-*
gregatio supervacaneum duxit causam definire, ejusque
propterea discussionem supersedit, cum solo rescripto,
*Non proposita attentio lapsu anni. Sic apud *dict. Thesaurum**
*tom. 9. in *allegata Aversana sub die 16. Maii 1739.**
 Quod dicitur Benedictus *loc. cit. num. 10. allegat sub die 2.*
 Martii 1739. Examinatores in concursu ecclesie paro-
 68 *chialis juris patronatus ecclesiastici solum idoneos, non*
 digniorem designare debent; Idem *loc. cit. lib. 4. cap. 8.*
num. 7. ubi multa tradit ad rem merito videnda & ob-
 servanda.
 Examinatores congruentius suffragia ferunt palam cum
 69 *municando secum invicem, tum indicendo notario hunc,*
 vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est
 Fagnani, inclinat Pontifex *loc. cit. cap. 8. §. 4.*
 In judicio Examinatorum nulla ferri suffragia Episco-
 70 *pum, vel Vicarius loco Episcopi residents, nisi in casu pa-*
 ritaris votorum, aut si sint singularia: tunc enim potest
 Episcopus quibus censuerit partibus accedere, sed hoc
 præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex
 Garcia, *ibid. §. 5.*
 Quod ait Auctor num. 43. Examinatores in concursa
 71 *su ad parochiales referre debere non solum de doctrina,*
 verum etiam de moribus, prudentia, ætate, aliisque
 ad regendam ecclesiam parochialem necessariis; hoc
 adeo verum est, ut si Examinatores de sola doctrina re-
 ferant, concursus irritus sit, tum irrita facta subinde ab
 Episcopo collatio parochialis ecclesie, ut firmavit Rota
 in *Casanen. Parochialis 8. Martii 1751. §. 3. & 28. Junii*
*ejusdem anni pariter §. 3. coram *Illustriss. Migazzi.**
 Idque procedit, etiamsi Examinatores inquisitionem
 72 *dictarum aliarum qualitarum præter doctrinam commisere-*
 rint notioni & conscientie Episcopi, tum etiamsi oretus
 73 *Examinatores retulerint de relictis aliis qualitatibus,*
 dummodo tamen exactio non constet eos oretum retulisse,
 & demum etiamsi contraria sit consuetudo, ut respondit
 Rota in *dict. Casanen. Parochialis 8. Martii 1751. à §. 5. 74*
ad finem, & 28. Junii ejusdem anni à §. 6. ad finem coram
Illustriss. Migazzi.
 Nota vero, quod ut Examinatores dicantur retulisse
 75 *tum de doctrina, tum de aliis qualitatibus, necessarium*
 haud est, quod (sunt verba Rote in *dict. Casanen. Parochialis*
8. Martii 1751. §. 6.) Examinatores iudicium super
singulis qualitatibus concurrentium distincte & sigilla-
tim proferre teneantur, quam satis sit eorundem qualitarum
ab Examinatoribus habitam fuisse rationem per indefinitam
orationem, qua concurrentes ad ecclesiam, regendam ido-
*nei renuntiant. Et sic refertur in *thesaur. resolut. tom. 9. pag. 219.**

EXCOMMUNICATIO.

ARTICULUS I.

Quoad excommunicationis esse, & divisionem.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatio quid sit.
2. Hac censura inducta est in ecclesiam propter potestatem ligandi Prælati ecclesiasticis traditam.
3. Et in praxi deducta ab Apostolo Paulo.
4. Excommunicatio in jure sapit anathema appellatur.
5. Anathema græce significat latine separationem alicujus à reliquis partibus.
6. Excommunicatio, & anathema licet essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem.
7. Excommunicatio, vel incurritur ipso jure, vel si ab homine infigitur, sola sententia iudicis ecclesiastici in scriptis concepta cum minori strepitu, quam anathema pronuntiat.
8. Anathema autem infigitur cum majoribus ceremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis.
9. Assignatur modus observandus in fulminatione anathematis.

Vv 2 Hinc

10 Hinc contumaces contra precepta ecclesie, primum excommunicantur, deinde vero crescente contumacia anathemate infligi jubentur.

11 Excommunicatio dividitur primo in majorem, & minorem; qua sint: & qualis omnium descriptio, & divisio; ad num. 22.

23 Novæ additiones ex aliena manu, ad num. 26.

12 **E**XCOMMUNICATIO est censura ecclesiastica, per quam homo christianus à communione ecclesie separatur; c. Omnis christianus 32. *caus. 11. quest. 3.* Hæc censura inducta est in ecclesiam propter potestatem ligandi Prelatis ecclesiasticis traditam à Christo *Matth. 18. n. 17. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, &c.* Et in praxim deducta ab Apostolo Paulo, qui 1. ad *Timoth. 1. in fine* quosdam incorrigibiles satanæ tradidit, quem locum de excommunicatione interpretatur D. Augustinus in *dist. cap. Omnis christianus; quia extra ecclesiam, inquit, diabolus est, sicut in ecclesia Christus, ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesie communione remouetur.* Excommunicatio in jure sæpius etiam anathema appellatur: anathema enim græcè significat latine separationem alicujus à reliquis partibus; *Communi.* Licet autem excommunicatio, & anathema essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem. Nam excommunicatio, vel incurritur ipso jure, vel si ab homine infligitur, sola sententia Judicis ecclesiastici in scriptis concepta, cum minori strepitu, quam anathema, pronuntiatur, ut colligitur *cap. 1. de sentent. excommun. in 6.* Anathema autem infligitur cum majoribus ceremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis in *cap. Debent 106. caus. 11. quest. 3.* Debent enim in anathematis fulminatione duodecim Presbyteri circumstare Episcopum cum candelis accensis præ manibus, & sententiæ fulmine lato in terram ipsas projicere, & pedibus conculcare, variis aliis maledictionibus, & execrationibus verbalibus huic solemnium fulminationi adjunctis, ut colligitur *ex cap. Nemo Episcoporum dist. caus. 11. q. 3. (Leg. 13. tit. 9. p. 1.)* Et per hoc contumaces contra precepta ecclesie primum excommunicati, deinde vero crescente contumacia anathemate infligi jubentur; *cap. Cum non ab homine 10. de julicis.*

13 Excommunicatio primo dividitur in majorem, & minorem; *cap. Si quem 59. de sentent. excommun. Major est censura ecclesiastica, qua christianus separatur à communione fidelium absolute, & simpliciter, sive privatur omnibus bonis communibus, scilicet sacramentis ecclesie tam quoad administrationem, quam susceptionem, publicis suffragiis, & conviclu, seu societate civili. Minor est censura ecclesiastica, qua christianus privatur solum passiva perceptione sacramentorum; dist. cap. Si quem 59. de sentent. excommun. (Leg. 1. tit. cit. & p.)* Excommunicatio simpliciter lata, sive à Jure, sive ab homine intelligitur semper de majori, uti expresse habetur *cap. Si quem 59. de sentent. excommun. his verbis. Si quem sub hac forma verborum illum excommunico, vel simili excommunicari contingat, dicendum est cum majori excommunicatione ligatum esse.*

14 Secundo dividitur in excommunicationem latæ sententiæ, & sententiæ ferendæ. Excommunicatio latæ sententiæ est ea, quæ ipso facto incurritur, sive criminis perpetratio, sive sententiæ Judicis, ut si dicatur, præcipimus sub pena excommunicationis, mox, ipso facto, ex tunc, statim incurrenda, vel excommunicatur, communione privatur ipso jure; ipso facto, & aliis similibus verbis. Excommunicatio sententiæ ferendæ ea est, quæ quidem in jure jam statuta habetur, tamen à delinquente non statim, ipso facto ac delinquit, seu mandatum transgreditur, incurritur ante sententiam Judicis; sed primum debet à Jure infligi, ut si dicatur, prohibemus sub pena excommunicationis, qui hoc fecerit excommunicatur, excommunicationem incurret, & aliis similibus verbis, ut habent communiter Canonistæ, & Moralistæ. *(Leg. 2. 3. & 4. ejusd. tit. & p.)*

15 Tertio dividitur in excommunicationem, quæ fertur à Jure, & in excommunicationem, quæ fertur ab homine. Quæ fertur à Jure est cum per legem, canonem,

constitutionem, seu decretum aliquid prohibetur, vel præcipitur sub pena excommunicationis, seu anathematis. Quæ fertur ab homine est illa, quæ propter aliquid delictum per Judicis sententiam delinquenti infligitur. Hinc patet supponi censuram in genere aliam esse à jure, & aliam ab homine. *Prima dicitur, quæ per aliquod jus lata est, habetque rationem quasi legis perpetuo obligantis, donec per legitimam auctoritatem non revocatur sic censetur quæ lata sunt à Sac. Canonibus, Conciliis, &c. Secunda est, quæ fertur ab actuali aliquo legitimo superiore quasi per modum præcepti transeunt obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum: unde hæc per mortem ferentis cessat; adeo ut qui tunc contrafecerit, nullam excommunicationem incurret: at qui ante illius mortem contrafecisset, etiam post censuram, quam idcirco incurritur, maneret innodatus, & absolute indigeret. Quarto dividitur in excommunicationem reservatam, & non reservatam, & ut facilius ab omnibus discernantur, quenam sint reservata, & non reservata, distincte in distinctos articulos juxta distinctos personarum status subnectuntur. *(Vid. proxime cum leg. 4.)**

16 Num excommunicatio christianorum à Judaica excommunicatione originem traxerit, non conveniunt inter se eruditi. Affirmat Selden. *de Synedr. lib. 1. cap. 9.* Negat vero Bohemer. *in decretal. lib. 5. tit. 39. §. 7.*

17 De variis excommunicationis speciebus, quæ tum antiquitus obtinuerunt, tum nunc obtinent, late agit Vans Espen. *Jur. eccles. univ. part. 3. tit. 11. cap. 3. per tot.*

18 De natalibus excommunicationis ipso jure consule Bohem. *in decretal. lib. 5. tit. 39. §. 57.* Et de natalibus excommunicationis minoris confer Morin. *de administr. sacrament. Penit. lib. 6. cap. 25.*

19 *(Vid. proœmium ejusd. tit. & p. ubi fit mentio de expulsiōe hominis ex paradiso, quæ actio pro prima excommunicatione quoad hominem numeratur; nam quoad celestia jam alia erit operata, scilicet dum de celo fuerunt Angeli dejecti.)*

ARTICULUS II.

Excommunicationes Summo Pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ.

EXCOMMUNICATIONES reservatæ in Bulla Cœnæ, ideo tales dicuntur, quia Feria V. Cœnæ Domini legi, & publicari consueverunt omnino in Capella Papali, & ita sunt num. viginti, quæ ut facilius, & clarius ab omnibus percipiantur, exhibentur hic, ut fuerunt publicatæ in Bulla à Clemente XI. edita tenoris sequentis.

CLEMENS PP. XI.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni christiana reipublica pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholice fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda maxime elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitiis hominum ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitate fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alteri offensionem præbeat; sed potius in vinculo caritatis conjuncti, tamquam unius Corporis membra Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifici, Beatissimi Petri successore, à quo totius ecclesie unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita, divina gratia adjuncti, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices prædecessores nostri hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione sollemnis est, spirituale ecclesie discipline gladium, & salutaria justitia

arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, justitiam, Deo auctore, tuetur, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes:

I. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostræ, quoscumque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos quoscumque nomine censeantur, & cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione traclantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore; nec non schismaticos, & eos qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

II. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, universitates vero, collegia, & capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinacionibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum, pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursarios, & latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, præcipue à monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

IV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui christianorum quoruncumque navibus tempestate, seu transversum (ut dici solet) jactatis, vel quocummodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa cujuscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in ceteris cujuscumque maris regionibus, & littoribus surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quencumque prætextum, excusari possint.

V. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à Jure, seu ex specialis Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiarum, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut generum vices prædictorum.

VII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententiæ expresse, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, flum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus christiani, & catholici impugnant, nec non illos, qui per se, vel per alios, de rebus statum christiana reipublica concernentibus, in christianorum præsentem, & damnum, ipsos Turcas, & christiana religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnam catholicæ religionis, certiores faciunt, illisque ad

id auxilium, consilium, & favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, principibus, rebus publicis per Nos, & Sedem prædictam hæctenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

VIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediētes, seu invadentes eos, qui vicinialia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscumque fuerint Ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam pontificali, seu regali, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

IX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliant, detinent; nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel nostris Judicibus, non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

X. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

XI. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percipientes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedesque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis diocibus, territoriis, terris, seu dominiis eicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, vel favorem.

XII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alias personas ecclesiasticas quascumque, vel seculares ad Romanam Curiam, super eorum causis, negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum Gestores, Advocatos, Procurantes, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quocummodo percipiunt, bonis spoliant; seu, qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam ecclesiasticos, quam seculares cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolum quamdam appellationem à grava mine, vel futura executione liter. Apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntiis, & Præsentibus Palatii nostri, & Camere Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admittunt, ac litteras, citationes, inhibitiones, & sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & teneri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & Notarii super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, Familiars, Notarios, Exequutores, & Subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percipiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & regnis eiciunt, bonis spoliant,

hant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel per alium, seu alios publice, vel occulte, quive aliis quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrant, seu impetratis utantur, directe prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere presumunt.

XIV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel per alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum apostolicarum prætextu beneficiale, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus ecclesiasticis advocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & poenis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum, seu executoriarum, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur; etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariorum, Consiliorum, Parliamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliiarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum secularium, etiamsi imperiales, regales, ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, & Archiepiscopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

XV. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, procurant directe, vel indirecte, quovis quæsitore colore; Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatias, seu quavis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, quovis quæsitore colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint; unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

XVI. Nec ex eorum Archiepiscopi, Episcopi, aliosque Superiores, & Inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon consanguineos, & affines, aut alias impediunt, quominus sua Jurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod canones, & sacre constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quarumcumque sententias, & decreta, aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab aliis prohibitiones, & mandata, etiam penalia Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

XVII. Quive Jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apostolicam, & quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

XVIII. Quive collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic impositas, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint prææminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiales, aut regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicumque, etiam regnis, provinciis, civitatibus, & terris quoquomodo Præsidentes, Consiliiarii, & Senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis Generalibus edita, cum censuris, & poenis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus S. Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliiarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumperint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, & Corsicæ, terras citra Pharum, patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum Comitatum Venasium, Sabinen. Marchiam Anconitanam, Massæ Trebaricæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Cesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, civitatem Castellum, Tudertum, Ferrariam, Comachium, & alias civitates, terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; nec non supremam Jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt; nec non adhaerentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentibus nostris processibus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione prestantia absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indulgentiarum quibuscumque personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum etiam mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum monasteriis, conventibus, & domibus, ac capitulis, collegiis, confrater-

nitibus, congregationibus, hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam imperiali, regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, innovatorum, aut concedendorum, & innovatorum.

Quod si forte alicui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutiois beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes quancumque absolutioem, etiam solemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatias, & decreta hujusmodi publice revocaverint, & ex archiviis, seu capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiantur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutioem aut quoscumque alios actus contrarios tactos, vel expressos, ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantumcumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque Juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecumque, & quancumque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus supra dictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis quiscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & prææminentie fuerint, etiamsi, ut præfertur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, prescriptionibus, quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenore, ac si ad verbum, nihil penitus omissis, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus, & omnino revocamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut vero præsentibus nostris processibus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Basilicæ S. Joan. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut illi, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut processus ipsi, & præsentibus literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati ubilibet constituti, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendum mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentibus litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in ecclesiis suis, dum in eis major populi

multitudo ad divina convenit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eandem prosumus fidem in judicio & extra illud, ubique locorum, adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ 24. Martii 1701. (Vid. lit. A. pag. 26. in add. bisp.)

* Nota. Excommunicatio, de qua sup. §. VII. qua vetatur fidelibus deferre arma &c. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. Benedic. XIV. de Synod. dioc. lib. 13. cap. 20. §. 6. n. ed.

Ad postulata Episcoporum Albanensium rescriptum fuit à Congregatione de Propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarentur fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter Christianos & Turcas furente, transvehant scopos majores, aut minores, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, & alia ad naves bellicas instrumenta idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, & quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi in tactis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque scopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrosque persecutiones evitare. Ibid. §. 7. * (Vide verb. Arma pag. 229. num. 32.)

ARTICULUS III.

Excommunicationes Summo Pontifici reservatæ extra Bullam Cœnæ.

Contra Prælatos Ecclesiæ.

1. Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio Papæ. Extravag. 3. de privileg.
2. Prælatos trahentes personas Ecclesiasticas ad forum Laicale. Martinus V. constituit. incipient. Ad reprimenda.
3. Cardinales, qui per simoniam ambiunt Papatum aut eum aliquo tractant de eligendo Pontifice, dum actu vivit Pontifex. Paul. IV. constituit. incipient. Cum secundum.
4. Cardinales aliquid ordinantes, seu disponentes contra Bullam Julii II. in electione Summi Pontificis. Julius II. constituit. incipient. Cum tam Divino.
5. Cardinales revelantes aliquid de actis secreto in Consistorio extante decreto Pontificis revelentur. Leo X. in Concil. Lateranens. sess. 9. & Pius V. constituit. incipient. Romani.
6. Episcopi, aliosque beneficiorum Collatores conferentes beneficia ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra ca-

aus designatos, & ultra formam præscriptam. Pius V. constit. *incipient*. Quanta est ecclesie Dei.

7. Administratores episcopatum, & inferiores Episcopis publicantes Indulgentias cum amplis privilegiis & suspicione simoniae. Pius V. constit. *incipient*. Quam plenum.

8. Inquisitores male procedentes contra Hæreticos. *Clementina* Multorum, §. verum, *de heret.*

9. Prælatos, & Gubernatores civitatum, & locorum status ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. Paul. II. constit. *incipient*. Munera. (*vid. verb. Judex, in add. 2. hisp. vers. judices.*)

10. Prælatos, & officiales Penitentiarie recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum à partibus. Pius V. constit. *incipient*. In omnibus rebus.

11. Prælatos, & Ministros Camere Apostolicæ non reddentes integre computa ejusdem. Paul. III. constit. *incipient*. Cum sicut.

Contra Clericos seculares, & regulares.

1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum ecclesiis. *Clement.* Cupientes §. Sane, *de penis. (Verb. Cadaver.)*

2. Participantes in divinis cum excommunicato à Papa; *cap. significavit, de sentent. excommuni.*

3. Retinentes beneficia in confidentiam Pius IV. constit. *incipient*. Romanum Pontificem, & Pius V. constit. *incipient*. Intolerabiles.

4. Procurantes alienationes bonorum ecclesie. Paul. II. constit. *incipient*. Cum in omnibus.

5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. Leo X. constit. *incipient*. Superperæ.

6. Procurantes eligi in successorem Papæ. Leo X. in *Conc. Lateran. sess. 7.* Julius II. constit. *incipient*. Cum tam divino.

7. Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Papæ, vel Ordinario reservatis. *Decretum Sacre Congregat. Episcop. & Regular. à Clement. VIII. approbatum 1602.*

8. Consentientes usurpationibus ecclesiarum. *Concilium Trident. cap. 11. sess. 24. de reformat.*

9. Trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. Martin. V. constit. *incipient*. Ad reprimendas. (*vid. verb. Bannitus, Clericus, & Forum, in add. hisp.*)

10. Parochos, & Beneficiatos non adimplentes juramenta de residendo. Pius IV. constit. *incipient*. Inter multiplices curas.

Contra Regulares.

1. Euntes ultra mare sine licentia suorum Superiorum. *Extravag. ad nostram, de Regular.*

2. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. *Extravag. Viam ambitiosæ, de Regular.*

3. Administrantes sacramenta Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ infirmis, vel matrimoniis solemnizantes sine licentia parochi. *Clementin. 1. de privileg.*

4. Superiores non denuntiantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Paul. V. constit. *incipient*. Romanus Pontifex.

5. Clausuales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Julius II. constit. *incipient*. Virtute conspicuos: extra Bullarium.

6. Tertiarios portantes habitum Minorum. Leo X. constit. *incipient*. Licet alias: extra Bullarium.

7. Clericos Regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia à societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem, eorumque receptores, Carthusiani exceptis. Gregor. XIII. constit. *incipient*. Ascendente.

8. Minimos subtrahentes se ab observantia Correclorum. Paul. III. constit. *incipient*. Cum sicut.

9. Subornantes & procurantes vota in electionibus, & complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes. Clemens VIII. constit. *incipient*. Nullus omnino.

10. Moniales exeuntes de clausura absque licentia. Pius V. constit. *incipient*. Decori.

11. Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis. *Extravag. 1. commun. 1. de Simonia.*

Contra Dominos temporales.

1. Dominos temporales, qui in terris eorum suppositis interdicho cogunt celebrare, & adire divina. *Clement. Gravis, de sent. excommuni.*

2. Judices, & officiales trahentes personas ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. constit. *incipient*. Ad reprimendas.

3. Officiales, ac dominos temporales bannientes, seu mandantes banniri personas ecclesiasticas. Urban. IV. constit. *incipient*. Quia sicut (*vid. verb. Bannitus.*)

4. Prohibentes subditis, ne vendant ecclesiasticis; *cap. fin. de Immunit. eccles. (idem ubi proxime.)*

5. Officiales, & dominos temporales percipientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. *Clement. 1. de penis.*

6. Tractantes de novo Papa eligendo, vivente alio, stipulationes, promissiones, conventiones, & pacta facientes, eorumque complices, & fautores, etiamsi imperiali, & regali fulgeant dignitate. Paul. V. constit. *incipient*. Cum secundum.

7. Principes, & dominos temporales concedentes locum, vel permitentes duellum in terris suis. Concil. Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 19.* & Clemens VIII. constit. *incipient*. Illius vices. (*vid. verb. Duellum.*)

Contra omnes.

1. Falsarios litterarum apostolicarum, *cap. Falsarium, de crimine falsi.*

2. Habentes litteras apostolicas falsas, & illas non destruentes, *cap. Dura de crimine falsi.*

3. Percipientes Clericum, vel Monachum *cap. Si quis suadente 17. quest. 4.*

4. Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ *cap. Quærenti, de Officio Delegati.*

5. Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos; *cap. Tua nos, de sentent. excomm.*

6. Absolutos ab excommunicatione sub conditione & non implentes; *cap. Eos qui, de sentent. excomm. in 6.*

7. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt, *cap. Quicumque, de sent. excomm.*

8. Sacrilegos effractores ecclesiarum; *cap. Con questi, de sentent. excomm.*

9. Eligentes potentem in Senatorem Romanum; *cap. Fundamenta de election. in 6.*

10. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa, *cap. Nuper, de sent. excommuni.*

11. Violantes interdichum modis prohibitis, in *Clementina Gravis, de sentent. excommuni.*

12. Offendentes Cardinales; *cap. Felices, de penis, Clericis, de immunit. in 6.*

13. Exigentes tributa à personis ecclesiasticis; *cap. Clericis, de immunit. in 6.*

14. Conspirantes in personam Pontificis; *Extravag. Etsi Dominici, de penis. & remis.*

15. Eventerantes corpora defunctorum; *Extravag. De testanda, de sepultura.*

16. Falsificantes monetam Regis Franciæ; *Extravag. Joann. XXII. Prodiens, de crimine falsi.*

17. Violantes interdichum Sedis Apostolicæ; *Extravag. Etsi Dominici, de penis. & remis.*

18. Offendentes Rectores, seu Præsides provinciarum Marchiæ Anconitanæ; *Extravagant. Joann. XXI. Die rum de penis.*

19. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione B. M. V. *Extravag. Grave, de Relig.*

20. Simoniacos in ordine, & beneficio; *Extravagant. commun. de Simon.*

21. Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis; *Extravagant. commun. 1. de Simon.*

22. Occupantes bona Cardinali tempore Conclavis; Leo X. constit. *incipient*. Temerarium.

23. Impedientes executionem litterarum Sacre Penitentiarie; Julius II. constit. *incipient*. Rationi congruit.

24. Dantes & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. Gregorius XIII. constit. *incipient*. Cum ab ipso Pontificatus. *Et Extravagant. 1. de sentent. excomm. Alexander VII. constit. incipient. Inter gravissimas.*

25. Simulantes, & fingentes se alios esse pro ob-

tinendis beneficiis à Dataria. Paul. IV. constit. *incip. ceteras.*

26. Mittentes literas, aut Nuntium in Conclavi, vel inde recipientes. Pius IV. constit. *incip. In eligendis.*

27. Occupantes bona Montium pietatis, & locorum piorum. Concil. Trident. *sess. 22. cap. 11. de reformat.*

28. Committentes duellum, vel illud consulentes. Concil. Trident. *sess. 25. cap. 19. de reformat.* Pius IV. constit. *incipient*. Ea quæ, Gregor. XIII. constit. *incipient*. Ad tollendum: Et Clemens VIII. constit. *incip. Illius vices. (Verb. Duellum.)*

29. Ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes. Paulus IV. constit. *incip. Cum secundum Apostolum.*

30. Mentientes personas in literis apostolicis, ut eorum expeditionem gratis assequantur. Innoc. VIII. constit. *incipient*. Cum sicut, & Leo X. constit. *incip. In hærendo.*

31. Capientes, & retinentes Christianos habitantes inter Turcas, & eorum bona diripientes, aut remigare cogentes, Pius V. constit. *incip. Licet omnibus.*

32. Suadentes Papæ, ut alienet, vel infeudet loca Status Ecclesiastici. Pius V. constit. *incipient*. Admonet nos.

33. Non revelantes conspiratores, & insidiatores contra Cardinales. Pius V. constit. *incip. Infelices.*

34. Committentes simoniam confidentialem. Pius V. constit. *incipient*. Intolerabiles.

35. Publicantes indulgentias, & solvatem dantes eligendi, Confessores iis, qui aliquid volunt. Pius V. constit. *incip. Quam plenum.*

36. Violantes ecclesiasticam Immunitatem. Greg. XIII. constit. *incipient*. Cum aliis nonnulli.

37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum ecclesiasticum sine licentia. Paul. V. constit. *incipient*. Inter gravissimas.

38. Diripientes animalia & alia bona, vel illa furata ementes ex Statu Ecclesiastico. Gregor. XIII. constit. *incipient*. Non sine gravi.

39. Docentes posse feri confessionem sacramentalem in absentia per literas. Clemens VIII. constit. *incipient*. Sanctissimus.

40. Impugnantes Institutum Societatis Jesu. Greg. XIII. constit. *incipient*. Ascendente.

41. Facientes jurare illicita, & contraria libertati ecclesiasticæ. Gregor. XIII. constit. *incipient*. Inter Apostolicas.

42. Accipientes, & retinentes fructus beneficii vacantis, & impediendes beneficii possessionem non solventibus dulciora, vel aliam solutionem. Pius V. constit. *incip. Durum nimis.*

43. Docentes, aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas. Decreta Sac. Congr. S. Officii annis 1665. 1666. 1667. 1669. emanata.

44. Fœminas ingredienti clausuram monasteriorum Regularium. Pius V. constit. *incip. Regularium.*

45. Fœminas, sive masculos ingredienti septa monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. Gregor. XIII. constit. *incipient*. Ubi gratia.

46. Examine se supponentes pro alio, ut beneficium impetret. Paulus IV. constit. *incip. Inter ceteras.*

47. Furto subtrahentes ex bibliotheca Ordinis S. Francisci de Observantia libros, quinthera & folia. Pius V. constit. *incipient*. Cum sicut accepimus 4. Novemb. 1548. & Sixtus V. constit. *incipient*. Cum sicut 3. Octobris 1587. Et hanc incurrit subtrahentes etiam ex bibliothecis aliorum Regularium.

48. Extrahentes libros, & mobilia monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani extra muros Urbis. Clemens XI. constit. *incip. Cum sicut.*

49. Extrahentes vasa, & ornamenta sacra ex ecclesiis, & ecclesia ejusdem monasterii. Clemens XI. constit. *incipient*. Cum sicut.

50. Extrahentes libros, & scripturas ex publica bibliotheca à Clemente XI. instituta in conventu Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Urbini.

FERRARI. BIBLIOTHEC. TOM. III.

Clemens XI. constit. *incipient*. Cum nos.

51. Extrahentes libros bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tyburis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia. Clemens XI. constit. *incipient*. Cum sicut.

ARTICULUS IV.

Excommunicationes nemini reservatæ.

Contra Episcopos.

VENIENTES ad Urbem clanculo, & inde recedentes sine licentia Papæ. *Extrav. 2. & 3. de major. & obediem.*

2. Usurpantes Prælaturam in civitate diversarum linguarum; c. Quoniam §. Sed si, *ff. de Offic. Ordinarii.*

3. Permittentes habitum Fratricellorum; *Extravagant. Sancta Romana Joann. XXII. De religiosis domibus.*

4. Literas à Regibus, & Principibus impetrantes ad dignitates obtinendas. Pius V. constit. *incipient*. Etsi Romæ.

Contra Clericos.

1. Contrahentes matrimonium si sint in Sacris. *Clement. unic. de consanguin.*

2. Audientes medicinam, aut legem si sint Sacerdotes, vel personatum habentes; *cap. Super specula, ne Clerici, vel Monachi.*

3. Usurpantes munus Sacramenta administrandi in civitate diversarum linguarum, & rituum; *cap. Quoniam, de officio Ordinarii.*

4. Impugnantes in concionibus, vel disputationibus Montes pietatis. Leo X. constit. *incip. Inter multiplices.*

5. Fidele resignantes, vel permutantes beneficia. Pius V. constit. *incipient*. Quanta ecclesie.

6. Interessentes agitationibus taurorum, si sint in sacris vel beneficia obtineant. Pius V. const. *inc. De salute.*

7. Sacerdotes recipientes Præfecturas seculares, & non desistentes ab illis post monitionem; *cap. Clericis, ne Clerici, vel Monachi.*

8. Procurantes, ut alii occupent jura, & bona ecclesiarum vacantium; *cap. Generalis, de elect. in 6.*

9. Alienantes bona ecclesiarum, vel locantes ultra triennium. *Extravagant. Ambitiosæ, de rebus eccles. non alienandis. (vid. verb. Alienare.)*

Contra regulares.

1. Institutentes novum Ordinem sine licentia Papæ; *cap. unic. de Religiosis domib. in 6.*

2. Professos temere habitum dimittentes; *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.*

3. Adeuntes Curias Principum, ut suis Religiosis damnum inferant, *Clem. Ne in agro, de statu Monach. §. Quia vero.*

4. Tenentes arma intra claustra sine licentia. *Clem. Ne in agro, de statu monach. §. Quia vero. Vide verb. Arma num. 4. 5. & 6.*

5. Mendicantes recipientes novas domos, & receptas alienantes, *Clementin. Cupientes, de penis.*

6. Non servantes interdichum sive à Papa, sive ab Ordinario positum, quando absolvetur ab ecclesia principali loci. *Clemente 1. de sent. excomm.*

7. Usurpantes decimas ecclesiis debitas, seu non permitentes, vel dissuadentes illas solvi. *Clement. 1. de decimis.*

8. Delinquentes in visitatione monasteriorum Monialium contra constitutum Alexandri VII. *incipient*. Felici Sacrarum Virginum.

9. Minores transeuntes ad Cappucinos, & hos illos recipientes absque licentia Sedis Apostolicæ. Sixtus V. constit. *incipient*. Pro ea.

10. Cruciferos requirentes favores pro dignitatibus consequendis. Clemens VIII. constit. *incipient*. Quoniam: & contra hoc advertendum est, quod etiam alii Regulares habent speciales constitutiones. Immo idem Clem. VIII. constit. *incipient*. Nullus omnino: pro reformatione Regularium §. 35. relinquendo in suo

Xx

ro

robre censuras, & penas contra hujusmodi ambientes ab aliis Pontificibus inflictas, addit ultra ipsas pro omnibus Regularibus penam privationis officiorum, & perpetuam inhabilitatem ad futura, reservando sibi, & suis successoribus dispensationem.

Contra Dominos temporales.

1. Retinentes nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio, Extrav. *Joann. XXII.* Si fratrum, *Ne Sede vacante.*
2. Præcipientes subditis, ne quidquam vendant ecclesiasticis, aut aliqua beneficia, & obsequia eis præstent; *cap. Eos, qui de immunit. Eccles. in 6.*
3. Impedientes Episcopos, vel Inquisitores in officio Inquisitionis, *cap. ut Inquisitionis, de heret. in 6.*
4. Concedentes repressalias contra ecclesiasticos, *cap. 1. de injuriis in 6.*
5. Permittentes agitationes Taurorum in suis Terris, Pius V. constituit. *incip. De salute.*
6. Non servantes statuta in *cap. Felicis de panit. in 6.* contra persecutores Cardinalium, S. Pius V. constituit. *incipient. Infelicis.*

Contra Magistratus, & Judices.

1. Facientes servari statuta, & consuetudines contra libertatem ecclesiasticam, *cap. Noverit, de sentent. excomm.*
2. Negligentes reddere justitiam ecclesiasticis post tertiam admonitionem, *cap. Administratores 23. q. 5.*
3. Exorquentes pecunias prætextu officii Inquisitoris, *Clement. de heretic.*
4. Potestates, & officiales communitatum usuras foventes, & approbantes, *Clement. unic. de usur.*
5. Permittentes portare arma breviora tribus palmis in Statu Ecclesiastico. Pius V. constituit. *incipient. Cum vices.*
6. Non parentes Cardinalibus Inquisitoribus in officio ipsorum. Pius V. constituit. *incip. Sanctissimus.*
7. Rectores Universitatum promoventes ad Doctoratum, vel professores ad cathedras non facta prius fidei professione. Pius V. constituit. *incip. In Sacrosancta.*
8. Auxilium non præstantes Episcopis pro conservanda clausura Monialium. Concilio Trident. *sess. 25. cap. 5. de Regularibus, & Monial.*

(Si parumper sistitur consideratio, & reflectitur super infra, & superscriptis determinationibus, facile quilibet poterit in hoc opere invenire locum, ubi majorem explanationem ea pene omnia consequuntur: nam perplura sunt per Auctorem animadversa, & per Add. hisp. adnotata; aliqua ex his comprobantur seu consonant leg. 4. & 19. tit. 9. part. 1. Vid. add. hisp. novis. verb. Censura.)

Contra omnes.

1. Vexantes ecclesiasticos, vel eorum consanguineos, quia non elegerint eum, pro quo rogabantur. *cap. Sciant cuncti, de elect. in 6.*
2. Præsidentes, & directores Monialium ponentes, vel nutriendes discordias in electione. *cap. Indemnitatibus §. Postremo de electione in 6.*
3. Conducentes Bononiam domos alterius Scholastici, vel Doctoris rates tempus conductionis elapsam. *cap. 1. de locato.*
4. Habentes ratas ordinationes factas à Schismaticis. *cap. 1. de schismat.*
5. Exorquentes revocationem, vel absolutionem à censuris per vim, & metum. *Cap. 1. de iis, que vi, mistive in 6.*
6. Judices accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio. *Cap. 2. de judic. in 6.*
7. Procurantes, ut Conservatores Regularium se introjuntant in aliis causis, quam in manifestis injuriis & violentiis. *Cap. fin. de offic. Deleg. in 6.*
8. Occupantes, & usurpantes prætextu defensionis bona ecclesie vacantis. *Cap. Generali, de elect. in 6.*
9. Alioquentes secreto Cardinales, dum sunt in Conclavi. *Cap. Ut periculum, §. Nulli de elect. in 6.*
10. Impedientes sequestrium factum ab Ordinario super beneficia, vel fructus occupantes. *Clement. unica, de sequestr. possess.*
11. Mandantes interfici christianum per assassinos.

Cap. 1. de homicid. in 6.

12. Sepelientes hæreticos scienter in loco sacro. *Cap. 2. de heret. in 6.*

13. Compellentes ecclesiasticos, ut submittant laicis jura ecclesie; *Cap. 2. de rebus ecclesie non alienandis in 6.*

14. Sepelientes tempore interdicti, vel nominatim interdictos, publicos excommunicatos, aut usurarios manifestos scienter in loco sacro. *Clement. de sepultur.*

15. Exigentes pedagia ab ecclesiasticis personis. *Cap. Quamquam, de cens. in 6.*

16. Doctores, sive magistros docentes legem, vel medicinam Religiosos. *Cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi.*

17. Concedentes repressalias, vel concessas extendentes contra ecclesiasticos. *Cap. unic. de injur. in 6.*

18. Profrentes falsam Religionem Fratricellorum. Extravaganti. Santa Romana *Joann. XXII. de religiosis domibus.*

19. Impedientes Visitatores Monialium. *Clement. Attendentes, de statu Monach.*

20. Vexantes Sanctum Officium. Pius V. constituit. *incipient. De protegendis.*

21. Cogentes, vel impedientes feminas ingredi monasteria. Concil. Trid. *Cap. 18. sess. 15. de Regul.*

22. Raptores mulierum, & fautores. Concilio Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reformat. matrimonii.*

23. Cogentes injuste matrimonium. Concil. Trident. *sess. 24. cap. 9. de reform. matrimonii.*

24. Pingentes vel colorantes Agnos Dei, Greg. XIII. constituit. *incip. Omni certe studio.*

25. Imprimentes libros absque licentia Superiorum, Conc. Lateran. sub Leone X. constituit. ejusdem 12. *incipient. Inter sollicitudines.*

26. Edentes Glosas in Concil. Trident. Pius IV. constituit. *incipient. Benedictus.*

27. Asserentes non esse necessariam confessionem ante sumpcionem Eucharistie. Concil. Trident. *can. 11. sess. 13. de Sacrament. Eccles.*

28. Assumentes statum Beguinarum. *Clement. 1. de Religiosis domibus.*

29. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus, *Clement. unic. de consanguinitate.*

30. Impugnantes literas Papæ non coronati. Extravaganti. *ult. de sentent. excomm.*

31. Falso affirmantes matrimonia filiorum familias sine consensu parentum contracta esse irrita, ac parentes ea rata, vel irrita facere posse. Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonii.* (Vide verbo Denuntiationes matrimonii, & verb. Exhereditatio.)

32. Abortus fetus animati procurantes, Greg. XIV. constituit. *incipient. Sedes Apostolica, in qua moderatur rigor constitutionis Sixti V. incipient. Effrenatam, Excommunicationem Papæ reservatam imponentis nedom pro abortu fetus animati, sed etiam inanimati. (Vid. lit. A. pag. 18. ad 21.)*

ARTICULUS V.

Excommunicatio quoad eos, qui possunt, vel non Excommunicare, & Excommunicari.

SUMMARIUM.

1. **EXCOMMUNICARE** potest Summus Pontifex in toto Orbe.
2. Excommunicare possunt Episcopi, alique Ordinarii in suis respectivo territoriis, & diocibus.
3. Cardinales in ecclesiis sui tituli.
4. Legati Sedis Apostolicæ in territorio sua Legationis.
5. Capitula cathedralium Sede vacante.
6. Vicarius Generalis, non solum Episcopi, sed etiam Capituli sede vacante.
7. Prælati, & Præpositi ecclesiarum collegiarum, & alii habentes jurisdictionem in foro ecclesie externo.
8. Abbates, & reliqui Superiores Regulares, non solum

lum Generales, & Provinciales, sed etiam per se loquendo Locales, scilicet Priores, Rectores, Præpositi, Guardiani, & alii hujusmodi respectu suorum.

9. Concilia Generalia, & Provincialia in sua provincia, aut natione, sicuti, & Capitula, seu Congregationes, tum Generales, tum Provinciales omnium Regularium.

10. Excommunicare non possunt Laici: an mulieres: clerici conjugati: qui excommunicari possunt, ad n. 19.

20. Papa an possit excommunicari: capitulum, universitas, & collegium: an in singulis universitatis, ad num. 25.

26. Novæ add. ex aliena manu inseruntur, ad num. 38.

EXCOMMUNICARE possunt (ultra Summum Pontificem qui hanc facultatem habet super omnes fideles in toto Orbe) Episcopi, alique Ordinarii in suis respectivo territoriis, & diocibus; *cap. Perniciosam 1. & cap. Conquerente 16. de Officio Ordinar. & Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4. de reformat. ** Nota tamen, quod si Episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurendam à transgressoribus, declaretque illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denunciati non sint, quia facti notorietate dignoscitur illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet constitutioni Martini V. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in *cap. Quod à Prædecessore, num. 55. de Schismat. De Synod. Dioces. lib. 7. cap. 68. §. 4. Cardinales in ecclesiis sui Tituli; cap. His quæ 11. de majorit. & obed. Legati Sedis Apostolicæ in territorio sua Legationis; cap. Novit. 7. de Officio Legati, & cap. Legatos 2. eod. in 6. Capitula Cathedralium Sede vacante; cap. Episcopali*

6. Sede vacante *unic. de majoritat. & obedient. in 6. Vicarius Generalis, non solum Episcopi, sed etiam Capituli Sede vacante; c. Venerabilibus 7. de sent. excomm. in 6.*

7. Prælati, & Præpositi ecclesiarum Collegiarum, & alii habentes jurisdictionem in foro ecclesie externo; *arg. cap. Quærenti 20. de verb. significat. & cap. Cum medicinalis 1. de sent. excomm. in 6. Abbates, & reliqui Superiores Regulares non solum Generales & Provinciales, sed etiam per se loquendo locales, scilicet Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, & alii hujusmodi respectu suorum seditorum; cap. cum in Ecclesiis 10. de majoritat. & obed. cap. Ea que 8. de statu monach.*

9. *cap. Sicut tuis 33. de Simonia. Et demum Concilia Generalia, & provincialia in sua provincia, aut natione, sicuti, & capitula, seu Congregationes tum Generales, tum Provinciales omnium Regularium; Suarez de censuris disp. 2. sect. 2. Navarr. in Manual cap. 27. num. 5. Palao tract. 30. disp. 1. sect. 4. à num. 2. & alii passim. (Leg. 7. 8. 9. & 10. tit. 9. p. 1.)*

10. Excommunicare non possunt Laici, *arg. cap. Decernimus 2. de judic. Tert communis. Nec mulieres etiam si sint Abbatisse monialium; cap. Dilecta 12. de major. & obed. quia Officium clavium non cadit in sexum femineum; Glossa communiter recepta in cap. Nova,*

12. *de panitent. & remis. Nec Clerici conjugati durante conjugio, & ideo Vicarii Episcopi esse non possunt. Sayr. de censuris lib. 1. cap. 5. num. 12. Monacellom. 3. in princip. num. 52.*

13. Excommunicati possunt solummodo christiani viatores graviter, & contumaciter delinquentes, rationis capaces, & jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem subjecti; *Sic communiter Doctores, & ostenditur inductione. Dicitur primo solummodo christiani, quia judæi, pagani, saraceni, aliive infideles, ex quo non sint baptizati, & per hoc nec ecclesie potestati subjecti, nulli ecclesiasticæ censuræ subjiciuntur, ut colligitur ex 1. ad Corinth. cap. 5. ibi: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare? (fere convenit lex. 1. tit. 9. part. 1.) Unde hæretici, apostatæ, atque schismatici, ex quo sint baptizati, & Christi fidem semel susceperint, possunt excommunicari, argum. c. De judæis 5. dist. 45. cap. Majores 3. de Baptismo.*

16. Dicitur secundo viatores, seu in terris viventis, quia

mortui non possunt excommunicari, ut ex verbis Domini expresse probat Gratianus *caus. 24. quest. 2. ibi: "Quod autem post mortem nullus excommunicari valeat, vel absolvi, ex verbis Evangelii monstratur, quibus dicitur: Quodcumque ligaveris super terram, &c. super terram, inquit, non sub terra, ostendens, quod viventes pro varietate suorum meritorum solvere possimus, & ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus;" sed ut inquit Leo I. relatus in cap. de Communione 1. caus. 24. quest. 2. Horum causa Dei judicio reservanda est. Et ut inquit Gelasius Papa relatus in cap. Ne quisquam 4. d. caus. 24. quest. 2. "De eo qui divino Judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus invenit." Dicitur tertio: *Graviter, & contumaciter delinquentes*, quia cum excommunicatio sit gravissima pena; *cap. Cum non ab homine 10. de iudic. & quæ pena in ecclesia nulla major est*, ut inquit S. Augustinus relatus in cap. Corruptiarum 17. caus. 24. quest. 3. non potest infligi nisi ob gravissimam culpam; *arg. cap. Nemo Episcoporum 41. cap. Nullius 42. caus. 11. q. 3. & Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. Et non nisi in contumaces, qui neque monitionibus, neque aliis levioribus penis, & censuris possint ad ecclesie obedientiam, & debitam submissionem reduci; c. Tam Sacerdotes 14. & c. Ecce autem 18. caus. 24. q. 3. & Trident. sess. 25. de reform. Dicitur quarto rationis capaces, quia qui non sunt capaces rationis, veræ culpe, & contumaciæ, ut infantes, furiosi, & amentes, neque sunt capaces censura, ut omnes communiter sentiunt Doctores. Dicitur quinto *Jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem subjecti*, quia eum par in parem non habet imperium, ut expresse cavetur in cap. cum inferior 16. de majoritate, sequitur evidenter, quod solummodo possint excommunicari subjecti jurisdictioni Judicis ferentis excommunicationem; *cap. A nobis 21. de sentent. excommunicat. Unde quia Papa nulli est subjectus, à nemine potest excommunicari. (Si recte perlegeris quæ in leg. 7. 10. 11. 12. 20. tit. dist. 9. & p. 1. Vid. lit. C. pag. 93. num. 9. cum lit. A. pag. 211. col. 1. in addit. novis. hisp. ad leg. 2. tit. 7. p. 3. ibi: o equal: & 18. tit. 23. ejusd. p. ibi: o que fuese equal: confirmationem præcedentia accipit.)***

Communitas, Universitas, collegium, capitulum, & quodvis aliud corpus politicum simul, & collective excommunicari non potest, *cap. Romana 5. de sent. excomm. in 6. ibi: "In universitatem, vel collegium profertur excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animatum periculum vitare, quod exinde sequi posset, sed nonnumquam contingeret, innocuos hujusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse contigerit, promulgetur." Si tamen omnes de universitate, collegio, capitulo, & hujusmodi compariantur delicti participes, & in eo contumaciter omnes persistentes esse, tunc in omnes singillatim, ac determinate, præmissa Canonica monitione excommunicationis sententia poterit profertur, ut colligitur ex cit. cap. Romana: & tenet Suarez disp. 18. sect. 2. Navarr. lib. 5. cons. 10. de sentent. excommunicat. dicto 4. edit. 1. Avila part. 2. cap. 4. d. num. dubio 5. & alii passim. Immo Papa potest proferre sententiam excommunicationis in ipsam Universitatem, collegium, & capitulum simul, ac collective, quia cum Papa non subiaceat ulli prohibitioni juris positivi ex quo par in parem non habet imperium, per cit. cap. Innotuit 20. de elect. non est dubitandum, quin excommunicatio ab ipso lata in universitatem, seu collegium liget omnes de universitate, vel Collegio, etiam innocentes. Intellige tamen quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesie se debent gerere, ut excommunicati: secus vero quoad Deum, quia ut expresse cavetur in cap. à nobis 28. de sent. excommunicat. "Judicium Dei veritate quæ non fallit nec fallitur, semper innititur; Judicium autem ecclesie nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, eccle-*

«clesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. (Leg. 14. tit. 9. p. 1.)

His addenda sunt, quæ in hac materia erudite admodum, & sapienter scripsit ab anno 961. S. Nicon in epistola ad Enclitium de injusta excommunicatione, cujus epistolæ fragmentum edidit Gentianus Hervetus pag. 86. Collectionis cujusdam, quam ex operibus SS. Patrum concinnavit, atque ad canones Sanctorum Apostolorum &c. adjecit Parisiis 1561.

Excommunicare possunt alii potestate ordinaria, alii potestate delegata. Potestate ordinaria ii, quibus est jurisdictio ordinaria ecclesiastica in foro contentioso; quosque enumerat *Auctor num. 1. & plur. sequent.* Num parochus potestate ordinaria excommunicandi polleat quæri hic solet; *Etiamsi non desint* (ita opportune ait *Hurrad. de excomm. disp. 12. difficult. 1. num. 2.*) «qui existimant, parochum eam habere pro casu furti & rapinæ, immo qui existimant eam habere pro quibusvis casibus adeo notoriis, ut non indigeant judiciali indagazione; Vasquez tamen &c. Avila &c. & communiter Doctores negant Parochi potestatem ordinariam excommunicandi. Et merito, quia nec ex suo munere, nec ex jure habet potestatem seu jurisdictionem in Foro contentioso, & licet forsitan aliquando ex jure excommunicare potuerit, ut indicari videtur in *cap. Quam ab ecclesiario 3. de Offic. Ordinarii*, jam tamen consuetudine abolitum est. Quod si velicubi parochus habeat aut retineat, standum est ibi consuetudini. (Aliquid ad *rem lex. 7. tit. 9. p. 1.*)

Potestate delegata illi, quibus commissum est ab habente potestatem ordinariam, modo habiles sint. An delegari possit potestas hæc laicis? A Papa potest, non item ab inferioribus Papa. Idem dic de femina; *Zoes. in comment. ad Decretal. lib. 5. tit. 39. num. 6. & sequent.*

Suarez de censur. disp. 1. sect. 3. num. 8. & plur. seq. De collegio quoque disputari solet, num hæc ipsi potestas delegari possit. Affirmantque *max. dicti Auctores*, etiamsi constet partim Clericis, partim Laicis, si tamen plures sint Clerici, quam Laici, vel etiam æquales.

Excommunicari vero ita possunt, qui alicui Superiori ecclesiastico habenti jurisdictionem in foro contentioso subditi sunt. Quid autem si degant extra diocesim? *Vide Hurrad. de excomm. disp. 12. difficult. 2. num. 5.*

De Communitate, notat idem *Auctor dicto loco n. 7.* «quod quamvis excommunicari non possit ab homine pro crimine commune in uno aliquo negotio, potest tamen excommunicari excommunicatione juri annexa. Et quamvis communitas non possit excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures Communitatis ex his, qui assisterunt ei negotio, etiam ut membra Communitatis ob idem commune crimen in aliquo uno negotio, dum non excommunicantur omnes illi, qui in eo negotio assistentes & representantes Communitatem illum crimen commiserunt, quia omnes isti non possunt ut membra Communitatis excommunicari ab homine, quamvis aliqui Communitatis non assisterint ei negotio. Possunt tamen omnes ut membra Communitatis excommunicari ab homine ob diversa crimina, alii ob unum, & alii ob aliud, & etiam omnes ut particulares personæ, etiam ob idem commune crimen ab aliis ut particularibus personis commissum, quia in dicto Capite tantum est sermo de excommunicatione ab homine lata contra Communitatem talem ob peccatum commune ab ea commissum; quia non præsumitur, omnes Communitatis qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine.

De defunctis quoque notat idem *Auctor num. 4.* quod non possunt excommunicari: «Nisi vel indirecte quoad alios, ut alii nequeant ipsos ecclesiasticæ sepelire, nec pro eis suffragia communia offerre, vel si directe, sumpra tamen excommunicatione pro declaratione, quæ declaratur ex hac vita decessisse in excommunicatione.»

Excommunicatum nondum absolutum, posse ex alio delicto iterum excommunicari, quiddam nonnulli contra sentiant; patet ex *cap. 27. de sentent. excomm. tam*

ex *Clementina 4. eod. & ex praxi Ecclesiæ.* (Eidem ferè consentit *lex 29. tit. 9. p. 1.*)

Exempti possunt etiam excommunicari in casu, in quo ex speciali delegatione subjiciuntur. Quid autem si speciali privilegio donentur, ne excommunicari queant? Alibi fuse dicemus. *§*

ARTICULUS VI.

Excommunicatio quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

EFFECTUS majoris excommunicationis ad numerum usque duodecim extenditur: varia exceptiones proponuntur: quibus propter eandem priventur, ad num. 13.

Excommunicatus nequit excommunicare, conferre beneficium, neque eligere, excep. summi Prætulæ electione: & idem effectus præsequuntur, ad num. 25.

Effectus minoris excommunicationis tres recensentur, ad num. 29.

Novæ addit. ex aliena manu inseruntur, ad n. 35.

PRIORIS effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatum usu activo, & passivo Sacramentorum; *cap. Cum illorum 32. & cap. Si quem 59. de sentent. excommunicat. cum concordat. Secundus effectus est privare excommunicatum communibus ecclesiæ suffragiis, & bonis spiritualibus, quæ ex publicis Ministrorum officiis, & sacrificiis fidelibus prevenire solent, nec non fructu satisfactionum Christi, & Sanctorum, qui ex communi ecclesiæ thesauro per Indulgentias Prælatorum auctoritate applicatur; Colligitur ex *cap. A nobis 28. & cap. Sacris 38. de sentent. excomm. Tertius effectus est privare excommunicatum assistentia divinarum officiorum. Excommunicatus enim nequit interesse missæ sacrificio, horis canonicis, publicis orationibus, processionibus, & hujusmodi; cap. Significavit 18. cap. Responso 43. de sent. excomm. cap. Alma mater 24. eod. tit. in 6. & *Clementin. Gravis 2. de sentent. excomm.* Permittitur tamen excommunicatis interesse concioni in ecclesia habitæ tempore, quo non celebrantur divina officia, ad hoc ut citius ad penitentiam, & ecclesiæ obedientiam excitentur; *cit. c. Responso 4. de sentent. excomm.* Sicuti etiam possunt privatim orare, & immo tenentur privatim recitare horas canonicas, si ad ipsas vi Ordinis, vel beneficii, vel professionis religiosæ teneantur, ne ex propria iniquitate commodum reportent, ut dicunt communiter Doctores, qui insuper addunt, idem dicendum esse, licet Beneficiatus, ex quo in excommunicatione officium præstare non possit, fructibus interim privetur, quia ipsius culpa id accidit, & per ipsum stat, quominus fructus percipiat; Ex regula enim 86. *Juris in 6. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* (Concordat *lex 6. prope fin. tit. 8. part. 5. & Reg. 22. tit. 34. part. 7.*) *Quartus effectus est privare excommunicatum ecclesiasticâ sepultura; cap. Sacris 12. de sepultura cap. Consulisti 7. de consec. eccler. Quintus effectus est privare excommunicatum communionem politicam cum fidelibus; cum excommunicatis enim nequeunt fideles commercia, seu negotia habere, convivere, & hujusmodi, nec excommunicati cum ipsis fidelibus; cap. Sicut 16. cap. Excommunicato 17. cap. Cum excommunicato 18. cap. Qui communicaverit 19. caus. 11. quest. 3. cap. Nuper 29. cap. Si aliquando 41. de sentent. excomm. Sextus effectus est privare excommunicatum communionem forensi, ita ut excommunicatus nequeat esse Judex, Advocatus, Actor, Testis, & hujusmodi, neque in causis criminalibus, neque civilibus; Ita de Judice habetur in *cap. ad probandum 24. de sent. & re judic. de aliis vero in cap. Decernimus 8. de sentent. excomm. in 6.* Hoc tamen de excommunicatis vitandis, & non toleratis solummodo est intelligendum, ut ex communi notat Avila***

part. 3. cap. 6. disput. 7. dub. 1. concl. 2. dub. 3. & 4.

Nihil vero obstat quominus excommunicatus in causis tum civilibus, tum criminalibus tanquam reus conveniri possit, ne ex propria malitia commodum reportet; *c. Intelleximus 7. de Judiciis.* (Vid. *lit. A pag. 111. num. 88. & lit. D. pag. 91. num. 43.*) Et consequenter omnia ea agere, aut etiam petere potest, quæ ad sui legitimam defensionem necessaria sunt; *cap. Cum inter 5. de exceptionibus.*

Septimus effectus est privare excommunicatum saltem vitandum omni jurisdictione ecclesiastica, ita ut omnia ejus acta invalida sint; *arg. cap. Audivimus 4. caus. 24. quest. 1. cap. Ad probandum 24. de sent. & re judicata. Unde excommunicatus non potest alium excommunicare; cit. cap. Audivimus.* Neque conferre beneficium; *cap. unic. Ne Sede vacante in 6.* Neque eligere; *arg. cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, & cap. Cum inter 16. de elect. ubi declaratur, electionem factam à suspensis invalidam esse, omnis autem excommunicatus ab officio & jurisdictione suspensus est.* Expicitur autem electio Summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium excommunicationem, suspensionem, vel interdictionem infirmari potest; *Clem. Ne Romani §. Ceterum, de elect. Octavus effectus est privare excommunicatum distributionibus quotidianis; arg. cap. unic. de Clericis non residentibus in 6. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. Nonus effectus est reddere excommunicatum incapacem, & inhabilem ad dignitates, & beneficia, & omnia ecclesiastica officia obtinenda; cap. Postulasti 7. de Clero excommunic. ministrant. Decimus effectus est reddere excommunicatum incapacem, & impotentem ad obtinendum aliquod rescriptum sive gratiæ, sive justitiæ à Sede Apostolica, taliter quod impetratum ipso jure sit nullum, nisi in ipsa causa excommunicationis, vel appellationis ad Excommunicati defensionem impetretur; cap. Dilectus 26. de rescriptis, & cap. Ipso jure 1. de rescriptis in 6. Undecimus effectus est reddere excommunicatum suspectum de hæresi, si per annum in excommunicatione insorderit, *textu expresso in Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform. in fine, ibi: "Sed si obdura animo censuris annexis in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectus, procedi possit."* Et si nullum impedimentum alleget, seque purgare recuset, potest condemnari ut hæreticus; *cap. Cum contumacia 7. de Hæreticis. Duodecimus effectus est reddere excommunicatos omnes communicantes extra causas à jure concessas cum excommunicato vitando, seu non tolerato; cum hæc tamen distinctio, quod communicantes cum excommunicato in crimine criminoso, scilicet cooperando crimini, & contumacia, ratione cujus est lata excommunicatio, incurunt excommunicationem majorem, eo quod facientes, & consentientes pat. pena constringat; c. Nuper 29. & c. Quod in dubio 30. de sept. excomm. (Infra art. 9. n. 15.) communicantes autem in rebus sacris aut politicis incurunt solummodo excommunicationem minorem; c. Illa quotidiana 39. de elect. c. Nuper 29. de sentent. excomm. & cap. Statuimus 3. de sentent. excomm. in 6. Cum hæc vero advertentia, quod communicando notabiliter in sacris, & divinis saltem publice celebratis peccant mortaliter, communicando autem in solis politicis, venialiter; Navarrus in *Manual. cap. 17. num. 29. Reiffenstuel lib. 5. Decretal. tit. 39. num. 148. cum communi.***

Effectus excommunicationis minoris sunt tres, unus proximus, per se, & directus, & alii duo remoti, indirecti, & de consequenti. *Primus, & directus effectus est, quod excommunicatus excommunicatione minori nullum licite possit recipere sacramentum, & si aliquod recipiat, graviter peccet; cap. Si celebrat. 10. de Clerico excomm. ministrante ibi: "Si celebrat, minori excommunicato licite, licet graviter peccet &c."* *Secundus effectus est, interim nullam fidem civilem mereatur, Denique nec conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non caret effectu, cum non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum?* (quæ in so-

la consistit perceptione) remotus. *Tertius, & alter effectus indirectus, remotus, & de consequenti est, quod excommunicatus minori excommunicatione non debet eligi ad beneficium ecclesiasticum, sed electio infirmanda sit; cit. cap. Si celebrat. ibi: "Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda pro eo, si quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus;" ubi vides, quod decretalis ipsa reddit claram rationem, quia cum beneficium ecclesiasticum suapte institutione ordinetur ad Sacros Ordines suscipiendos, vel missam celebrandam &c. à quibus minori excommunicatione ligatus repellitur, venit de consequenti repellendus etiam à beneficiis ecclesiasticis;" pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus."*

Bona, quibus privatur excommunicatus, ab Auctore in hoc art. ad opportunitus hic afferuntur; Ea denotantur vulgatissimo hoc versiculo:

*Si pro delictis Anathema quis efficiatur,
Or, orare, vale, communitio, mensa negatur.*

Oris nomine non solum osculum, sed etiam colloquium indigitatur, ut ne quidem per literas, nuncium, signa, aut nutum cum eo agi debeat. Per orare prohibetur omne commercium sacrum cum excommunicato. Voce vale omnis honorifica salutatio designatur, quæ excommunicato adeo deneganda, ut ne quidem caput aperire, neque assurgere, neque via decedere, neque ullum aliud honoris, aut reverentiæ signum exhibere excommunicato liceat. Mensa communis porro esse nequit cum excommunicato, multo minus ergo communi lecto aut habitatione cum excommunicato utendum. Denique *Communitio* prohibetur, quæ appellatione omne commercium civile designatur, ut nullum negotium civile vel humanum cum eo suscipere liceat.

Patet hinc, statum excommunicatorum civilem nullum esse, eosque fere pro capite minutis, seu iis qui mediam capitis diminutionem passis sunt habendos. Quod ut apertius liqueat, liber per aliquot effectus civiles fuisse ab aliis explicatis in compendium ire.

Excommunicatus nequit accusare, neque agere potest; Opponi propterea Accusatori potest exceptio excommunicationis, ut ne quidem hæc elidatur per replicationem, quod reus communicaverit cum excommunicato actore, quia hæc communicatio tantum minorem excommunicationem operatur, atque non à foro, sed à sacramentorum participatione removet; *c. 2. 8. de Except. Tametsi autem agere nequeat, conveniri potest, ne videatur de sua malitia commodum reportare; c. 7. de judic. Opponitur potest exceptio hæc excommunicationis in 40 qualibet parte judicii; c. 1. 2. de except. Necesse tamen est, ut excipiens de excommunicatione speciem ejus exprimat, ac intra spatium octo dierum ipsam probet; alioquin ea non obstante Judex procedere potest, quia compertum fuit saepe per malitiam hæc exceptionem opponi; *Cap. 1. de Except. in 6.* Neque hoc solum pertinet ad ecclesiastica judicia; secularis quoque Judex per censuram ecclesiasticam compellendus, ut excommunicatos ab agendo repellat; *Cap. 8. de sent. excommunicat. in 6.**

II. Excommunicatus nec pro alio modo in foro comparere potest. Quod attinet ad jus postulandi, expresse decrevit Alexander VI. in *dicto cap. 8. de sent. excomm. in 6.* ne Judices seculares excommunicatos ad patrocinandum admittant, sive partes actoris, sive reus tueantur. Valida tamen acta sunt, licet missus fuerit excommunicatus ad patrocinandum. Pariter nec procurator esse potest excommunicatus; *cap. 7. de Judiciis.* Sed & valida esse ab eo gesta, si neque à parte, neque à Judice repulsus sit, docent communiter Canonistæ. Nec potest Notarius excommunicatus manus suam exercere in judicio, quod quamdiu hoc vinculo ligatus est, interim nullam fidem civilem mereatur, Denique nec testimonium ferre excommunicatus potest; *dict. cap. 8. de sentent. excomm. in 6.*

III. Excommunicatus ad officia publica non est admittendus, sed participatio sacramentorum? (quæ in so-